

discendam et similia, *S. Lig. n. 955. — Elbel, n. 340. — Code civil, art. 852 et seq.*

826. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirmative.* Ratio est, quia non est præsumendum patrem voluisse hujusmodi debita gratuito compensare cum notabili detrimento aliorum filiorum, sed ea, interim, necessitate compulsus, solvisse, cum intentione ut suo tempore in portionem hæreditariam computarentur. Pater enim non censetur voluisse pecuniam concedere ad varios abusus et in proprii filii detrimentum. Secus tamen, si expensæ illæ non essent magni momenti. *Lacroix, n. 807. — Layman. — Elbel, ibid.*

827. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Distinguendum est. *Affirmo* quidem, si filius ille in propriam utilitatem redimatur, quia id æquitas postulare videtur. *Nego* autem, quoties filius redimitur in utilitatem patris, v. g. infirmi, senis, pauperis, aut familiæ sustentandæ; quia familia, quæ commodum percipit, onus etiam ferre debet. *Gousset. in Cod. civ., art. 852.*

828. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. Nego, generatim loquendo,* quia expensæ illæ cedunt in bonum commune familiæ, nempe in ejus honorem, commodum, etc.; et gratuito a parentibus hæc donata censentur. *S. Lig. n. 955.* Referri autem debet in hæreditatis divisionem patrimonium a patre datum filio ad sacros Ordines suscipiendos, quia æquiparari potest doti filiæ, quæ necessario referenda est. Secus enim *legitima* filiorum læderetur, et hoc esset contra mentem Conc. quod patrimonium exigit ad *titulum et statum Clerici stabilem.* *S. Lig. n. 956.*

## CASUS

### DE TESTAMENTIS ET LEGATIS

#### SEU

*De testamentis validis et invalidis; — de testamentis inter conjuges; — de legatis piis et profanis; — de fidei-commissis.*

#### CASUS I.

##### DE VALORE TESTAMENTI 1<sup>o</sup>.

GERONTIUS, senex, carens hæredibus necessariis, se sentiens gravi morbo correptum, et brevi ad extrema perducendum, jubet advocari Parochum, medicum et notarium cum testibus. Advolat citius Parochus, cui, coram pluribus mulieribus, moribundus brevissime ad calamum dicit se velle PAULINUM, amicum, participem facere hæreditatis cum EUGENIO, unico hærede naturali. Mox adest notarius cum requisitis testibus et futuris hæredibus; sed ecce, dum interrogat moribundum, vox huic faucibus hæsit. Parocho tamen poscenti num ratum haberet quod modo dixerat, nutu capitis annuit, et extemplo vivis valedicit. EUGENIUS autem juridice impugnat testamenti validitatem, ut totam accipiat hæreditatem.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An valeat testamentum GERONTII in primo casu, et PAULINUS hæreditatem ejus retinere possit, saltem ante judicis sententiam?*

2<sup>o</sup> *Si habeat secreto aliquam pecuniam GERONTII, an eam servare posset, sive ante sive post sententiam judicis circa hæreditatem?*

SOLUTIO :

829. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Invalidum prorsus est GERONTII testamentum de jure positivo, quia in eo deficiunt plures conditiones, quæ lege ad testamentum solemne requiruntur. Etenim ex omni jure testator ipsemet, viva voce saltem, declarare debet, coram requisitis testibus, talem esse suam ultimam voluntatem; nec mulieres in testimonium admittuntur. *Ex Jure Romano*, in eo casu 8 testes testamentum subscribentes requiruntur, cum moribundus ipse subscribere nequeat; secus 7 sufficerent. *Ex Jure autem Gallico* absolute requiritur ut ipse testator declaret voluntatem suam de verbo ad verbum, coram uno notario scribente et 4 testibus, vel coram 2 notariis, uno scribente, et 2 testibus. Tum notarii, tum etiam testes subscribere debent. Non satis est igitur ut æger interrogatus, affirmative, sive verbo sive nutu capitis respondeat. *Cod. civ., art. 972. — Gousset, Cod. civ. commenté, ibid.*

2<sup>o</sup> Attamen, juxta multos Theologos gravissimos, in foro conscientiae de jure naturali, hæres hujusmodi testamentum retinere potest ante judicis sententiam, quia lex civilis non videtur illud ipso facto irritare, sed judicis sententia irritabile facere. *S. Lig. n. 927.* Ergo PAULINUS testamentum servare potest, usquedum ab eo per sententiam dejiciatur, quia de voluntate testatoris ipsi certissime constat, cum non solum ipsi, sed pluribus aliis manifestata fuerit. Proinde, si judicis sententia non interveniat, hæreditatem tuta conscientia tenebit.

830. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirmative*, ante judicis sententiam, ut patet ex dictis. Negative autem post judicis sententiam, quia per sententiam juridicam dejicitur omnino ab hæreditate: ergo quidquid ad hæreditatem pertinet, sive cognitum sive incognitum, hæredi legali tribuendum est. Ergo PAULINUS nihil secreto sibi servare potest; accessorium enim sequitur principale. Excipe nisi aliquid ei specialiter donatum fuerit.

## CASUS II.

DE VALORE TESTAMENTI 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> SABAS, neglecto fratre suo POTAMIO, hæredem instituit PLACIDUM, in secundo gradu consanguineum; sed ante completum testamentum repentina morte corripitur, ideoque POTAMIO ab intestato hæreditatem occupat. Deceptus autem PLACIDUS, tacite servat tum mille francos mutuo a testatore acceptos, tum alios mille francos, quos secreto ipsi POTAMIO debebat.

2<sup>o</sup> SABANUS fratris sui filium JOANNEM hæredem nominat. Verum, eo mortuo, duo adstant nepotes eodem nomine appellati. Exorta lite, de hæreditate inter se dividenda convenerant, cum adstat MARTINUS defuncti frater, contendens invalidum esse testamentum, et sibi, ut propiori consanguineo, devolvendam esse hæreditatem.

3<sup>o</sup> SABELLUS duplex testamenti olographi exemplar eodem die conficit, sed in uno URBANUM et in altero FLAVIUM hæredem suum universalem instituit. Qua de causa? Nescio. Probabiliter unum exemplar electurus erat, et alterum dilaceraturus. Quidquid sit, e vivis perimitur, utrumque testamentum intactum relinquens.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An PLACIDUS, in primo casu, utramque prædictam pecuniæ summam sibi servare possit?*

2<sup>o</sup> *An, in secundo casu, uterque JOANNES sit hæres, vel nullus, ita ut MARTINUS succedat?*

3<sup>o</sup> *An, in tertio casu, validum sit utrumque testamentum? vel quis hæreditatem adire debeat?*

SOLUTIO :

831. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> PLACIDUS probabiliter servare potest mille francos, mutuo a testatore acceptos. Ratio patet ex dictis in casu præce-

denti. Etenim hæres ex testamento informi de jure naturali servare potest hæreditatem donec a judice ab ea dejiciatur: ergo, si potest totam servare, a fortiori partem. Atqui in nostro casu nulla sententia judiciaria intervenit, et insuper fraude non impeditur, ut in casu præcedenti ERNESTI. Ergo PLACIDUS ex hac parte placide mutuum illud servare potest.

2<sup>o</sup> Non potest autem excusari PLACIDUS a restituenda pecunia quam POTAMIO, hæredi naturali, debebat. Etenim pecunia hæc ad hæreditatem non pertinet, cum sit POTAMII hæredis, non vero SABÆ testatoris. Ergo PLACIDUS hos mille francos servare non posset, nisi titulo compensationis, ex eo quod POTAMIO hæreditatem sibi voluntate SABÆ destinatam acceperit; atqui PLACIDUS jus non habet ad se compensandum. Etenim jus non habet ad hæreditatem nisi *probabile*, de *lege naturali*; atqui nunquam permittitur compensatio cum *mera probabilitate*, sed cum sola certitudine juris. Præterea nulla injuria ei facta est a POTAMIO, qui juxta legem civilem consecutus est hæreditatem. Ergo PLACIDUS nullum jus habet ad compensationem. Ergo hos mille francos POTAMIO restituere debet.

832. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Indagandum ex indiciis utrum testator uni e duobus potius favere intenderit, v. g. si speciali benevolentia eum prosecutus fuerit, etc.; tunc enim ei tribuenda est hæreditas.

2<sup>o</sup> Si dubium istud ex nullis indiciis dirimi possit, hæreditas videtur inter utrumque hæredem probabilem, seu inter *utrumque Joannem* esse dividenda; quia *uterque* jus probabile æquale ad eam habet. Excipe, nisi, lege civili locorum, testamentum in eo casu irritetur; tunc enim hæreditas ad hæredem naturalem tribuenda foret, perinde ac si SABANUS ab intestato decessisset. *V. Pontas, Testam. cas. 15, et Collet adnotator., ibid.*

833. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Utrumque testamentum est validum, cum utrumque omnibus conditionibus testamenti olographi gaudeat, et utrumque eadem die confectum fuerit. Proinde duo hæredes, URBANUS scilicet et FLAVIUS, jus æquale habent. Ergo ambo inter se hanc hæreditatem dividere debent. Idem enim est ac si uterque in eodem testamento hæres institutus fuisset. *Pontas, ibid. cas. 16.*

## CASUS III.

DE VALORE TESTAMENTI 3<sup>o</sup>.*Spectrum nocturnum!*

VULPINUS, astutus homo, cum duas haberet filias nobiles, et dos ipsis constituenda penitus ei deficeret, industria utitur, ut e tantis angustiis evadat. Quid igitur ille?... Mox patebit. Non procul a pago eminebat spatiosa villa, in qua degebat EUPHEMIA, matrona annosa, proximis carens hæredibus. Vetulæ hæreditati inhiat VULPINUS noster. Mirum excogitat medium, ut sibi vel filiabus devolvatur. Ecce, intempesta nocte, fragor ingens auditur in rustica domo. Pavere, trepidare, clamare EUPHEMIA! Abhinc per multas noctes iteratur strepitus, iterantur quoque vetulæ angores, VULPINUS vero, totius rei auctor, adit matronam, et si-

mulato quodam negotio, ab ea rescit id quod plane noverat, eam solatur, rogatque ut, hac maledicta villa relicta, velit in ipsius domum divertere. Annuit illa. Egrege recipitur, quibuslibet officiis cumulatur. In remunerationem vero, testamentum condit in favorem filiarum VULPINI, et paulo post e vivis excedit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An VULPINI filiarum, quæ bona fide hæreditatem acceperunt, eam restituere debeant, si id quod fecit pater postea noverint?*

2<sup>o</sup> *An vero VULPINUS pro filiabus restituere teneatur? vel quid, si ipse hæres constitutus fuisset?*

3<sup>o</sup> *Quid, si, incusso prædicto metu, ab EUPHEMIA postulasset ut domum vili pretio sibi venderet?*

SOLUTIO :

834. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Filiæ VULPINI ab omni restitutionis onere immunes censendæ sunt. Ipsæ enim nedum ullam actionem injustam fecerint, contra ex vera caritate, bona officia erga EUPHEMIAM præstiterunt: neque hic et nunc rem alienam habent, quum eam legitimo testamento acceperint.

835. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> VULPINUS ad restitutionem pro filiabus non tenetur. Ratio est, quia non fuit causa testamenti in favorem filiarum conditi, sed tantum occasio: etenim metus non influit proxime et efficaciter in hunc actum quo matrona filias instituit hæredes; nam omnino libera remanebat illa ut testamentum conderet necne, et conditum revocaret, vel etiam aliis remunerationibus officia a puellis accepta compensaret.

2<sup>o</sup> Si vero ipse hæres constitutus fuisset, neque etiam tunc casus alio modo solvendus esset; semper enim eadem rationes valerent.

836. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Si domum infra justum pretium emisset, certo valoris excessum compensare deberet. Attamen probabiliter valeret contractus venditionis, licet non omnes de hoc convenient; quia metus non vit directe incussus ad venditionem extorquendam, cum mulierem ad domum vendendam precibus adduxerit. Cæterum controvertitur utrum contractus onerosus, ex gravi metu initus, validus sit, necne.

#### CASUS IV.

##### TESTAMENTUM SIMULATUM.

LEONTIUS sic JULIANO, avunculo suo, graviter decumbenti: « Numquid ait, mihi pauperculo providere non intendis? nonne aliquid mihi donabis ad miseriam meam sublevandam? — Ita sane, reponit JULIANUS, hæc est mea voluntas certissima; siquidem *omnia bona mea tibi relinquo*. Cura, ut confestim advocetur notarius qui testamentum conficiat. » Verum longe distabat notarius, et quum advenit, æger usu rationis destitutus est. Quid tum LEONTIUS? Ocius adhibuit virum quempiam in arte scripturam

simulandi peritissimum, cujus ope testamentum in sui favorem conscribere curavit. Qua fraude minime detecta, LEONTIUS, seclusis aliis consanguineis, solus integram hereditatem consecutus est. Hac bona sorte auctus et beatus, LEONTIUS, maximas Deo gratias religiosissime agens, nuptias favorabiles inivit, et dotem uxoris in hac accepta hæreditate constituit. Postea vero a Parocho suo urgetur ad restitutionem aliis consanguineis pro rata faciendam. Ipse autem alium adit Confessarium a quo absolvitur, tum quia certus erat de testatoris voluntate, tum etiam quia restitutio nullo modo fieri poterat quin fraus detegeretur, cum dos uxoris in accepta hæreditate consisteret, et præterea LEONTIUS nulla alia bona haberet.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An LEONTIUS ad restitutionem teneatur?*

2<sup>o</sup> *An, in casu obligationis, a restitutione ut impotens eximi possit?*

3<sup>o</sup> *Quid de viro qui testamentum conscripsit?*

SOLUTIO :

837. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Affirmative.* JULIANUS enim mortuus est simpliciter ab intestato. Ergo ejus hæreditas inter propiores consanguineos dividenda est, cum in hypothesi hæredibus necessariis careat; ergo LEONTIUS aliis consanguineis restituere debet *pro rata* juris singulorum violati. Etenim testamentum falsum supponendo non tantum turpiter mentitus est, et graviter læsit justitiam legalem, quæ sub pœnis severissimis scripturam suppositam prohibet, sed etiam justitiam commutativam gravissime infregit, dolo et fraude alios hæredes impediendo ne jus suum strictum juridice prosequi valerent.

*Objicies*: LEONTIO constat de voluntate avunculi totam hæreditatem sibi tribuendi, ut patet ex his verbis: *Omnia mea bona tibi relinquo*. Ergo, ex voluntate expressa et formali JULIANI, alii consanguinei ab hæreditate excludendi sunt.

*R. JULIANUS* his verbis: *Omnia bona mea tibi relinquo*, noluit facere donationem inter vivos LEONTIO, sed tantum aperuit ei mentem suam de testamento in favorem ipsius condendo, ut patet ex verbo *relinquo*, vel ad summum est testamentum verbis tantum expressum, seu testamentum formis destitutum. Sed ideo jus non habet LEONTIUS supponendi testamentum falsum, et impediendi hac fraude ne alii hæredes naturales ad judicem recurrere possint.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirmative.* LEONTIUS enim, attentis omnibus casus circumstantiis, *moraliter* imo et *physice* videtur impeditus a restitutione, saltem statim et totaliter facienda: siquidem, ut restitutionem perageret, non tantum maxima famæ jactura esset ipsi subeunda, sed etiam severissimas pœnas, ut falsarius, incurrere deberet, ne alia incommoda quam gravissima pro ejus sponsæque familia subsecutura referam. LEONTIUS igitur clam et paulatim pro viribus, illæsa fama, injuriam aliis hæredibus factam, saltem ex parte, reparare debet.

838. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Vir ille peritus in arte scripturam simulandi,

qui falsum confecit testamentum, ut cooperator, seu ut participans, damnum resarcire debet, et quidem in solidum, defectu LEONTHI qui primo loco tenetur. *Recole dicta de injusta cooperatione, n. 679 et seq.*

## CASUS V.

## TESTAMENTUM COMPLETUM.

*Post mortem testatoris.*

GILDANUS, graviter ægrotans, et hæredibus necessariis destitutus, testamento olographo ERNESTUM, fratris sui filium, aliis nepotibus prætermissis, hæredem suum universalem constituit. Verum, conscripto vix integro testamento, cum esset subscriptionem suam appositurus, repentina morte e vivis subripitur. ERNESTUS vero præsens, accepto statim calamo, nomen testatoris mira dexteritate subjicit. Cum autem alii consanguinei in æquali gradu testamentum potuissent, nec, eo diligenter examinato, fraudem detexissent, ERNESTUS solus totam hæreditatem accipit ac retinet.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An ERNESTUS hæreditatem totam servare possit?

2<sup>o</sup> Quid, si hæredes, suborta fraudis suspitione, litem circa testamenti validitatem moverint, nec causam obtinuerint?

SOLUTIO :

839. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* ERNESTUS ad restitutionem hæreditatis *pro rata* juris aliorum consanguineorum damnandus est, licet iudicis sententia non intervenerit, nec sit unquam interventura. Ratio est, quia per fraudem legatum sibi vindicavit; *fraus* autem *nemini patrocinari debet*. Etenim, simulata testatoris subscriptione, impedit fraudulenter alios hæredes naturales ne ad iudicem recurrere possent: ergo jus eorum strictum violavit; ergo damnum reparare debet. Nec obstat quod ex dictis hæres nominatus hæreditatem retinere valeat, saltem *probabiliter*, licet testamentum careat aliqua forma legali, donec a iudice infirmetur; nam ERNESTUS impedit, fraude adhibita, quominus illud testamentum infirmari unquam posset. Hinc non datur discrimen essenziale inter casum hunc et casum præcedentem LEONTHI, in quo totum testamentum supponitur simulatum. In utroque enim casu, actus necessaria solemnitate destituitur, et coram lege æque invalidus est, et æquali fraude hæredes naturales ab hæreditate consequenda impediuntur.

*Objicies*: ERNESTUS cognoscit certissime voluntatem testatoris sibi faventem; ergo jus certum habet ad hæreditatem servandam.

*R. Neg. cons.* Habet quidem jus *probabile*, sed non *certum*. Teste enim S. *Ligorio*, duplex datur sententia probabilis circa testamenta formis legalibus destituta, scilicet, sententia affirmans ea esse valida, ante iudicis sententiam, et sententia negans. Vi autem probabilitatis sibi faventis potest quidem ERNESTUS hæreditatem servare usquedum iudica

sententia interveniat, modo nullam adhibeat fraudem. Verum interposita fraude, impedit adversarios ne jure suo probabili uti possint, scilicet, ne recursum habere valeant ad iudicem, apud quem certo causam fuissent habituri.

Attamen ERNESTO liceret hæreditatem totam retinere, si alii hæredes naturales, cum audiverint testamentum fuisse conditum in illius favorem, ne illud quidem requisivissent, quia tunc isti minime ERNESTI fraude impediti fuissent a recursu ad iudicem habendo, sed damnum suæ simplicitati vel negligentiae tribuere deberent.

840. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Seu quid, si res ad iudicem delata fuerit? ERNESTUS nihilominus ad restitutionem teneretur, quia nihil ipsi prodesse potest iudicis sententia, cum in errore substantiali fundaretur. Quare enim iudex ei legatum tribueret? Quia, similitudine deceptus, iudicis sententiam esse testatoris, dum hoc falsum est. Ergo invalida esset iudicis sententia. Ergo ERNESTO minime favere potest. Ergo hæreditatem retinere nequit. *V. Comp. n. 814 et seq. et 819.*

## CASUS VI.

## TESTAMENTUM CASU DESTRUCTUM.

*Et arte redivivum!*

CHRYSANTUS, moriens, tradit ADRIANO testamentum olographum in ipsius gratiam conditum. Mortuo autem CHRYSANTO, felix ADRIANUS, cum testamentum hilari animo perlustrasset, et super scrinium deposuisset dum ignem refocillaret, ecce nescio quo casu, aperto ostio, folium repentino venti turbine rapitur, et in ardentem ignem dejicitur. Impiger ADRIANUS illud flammis subducere satagit. Sed heu! irrita conatu! jam penitus combustum erat. Tum ADRIANUS in desperationem abiturus erat, cum ejus menti mira cogitatio suboritur! Ecce scripturam et subscriptionem testatoris perfecte simulat, et sic rem in integrum restituit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An, vel quomodo ADRIANUS peccaverit testamentum simulando?

2<sup>o</sup> An ad restitutionem erga hæredes naturales ex justitia teneatur?

SOLUTIO :

841. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> ADRIANUS excusari nequit a peccato contra veritatem, seu a peccato mendacii, quia asserit præsens instrumentum esse primum testamentum, et esse subscriptionem testatoris, quod falsum est. Eadem ratione peccaret contra veritatem ille qui tali instrumento per alium confecto uteretur. *Lacroix, l. 3, part. 2, n. 1123 et 1124, et alii*, contra *plures* negantes hoc esse contra veritatem, quia supplens testamentum amissum, non intendit aliorum deceptionem, sed tantum rei suæ recuperationem. Cæterum, mendacium illud peccatum veniale *per se* non excedit.

2° ADRIANUS *per se* non est excusandus a peccato gravi contra caritatem erga seipsum, quia se exposuit periculo maximæ pœnæ, ut *falsarius*, subeundæ. Excipe, nisi ad periculum illud non adverterit.

3° Nec videtur excusandus a peccato mortali contra justitiam legalem, quæ omnem scripturam falsam sub gravissimis pœnis prohibet; quia, etiamsi nulli inferat præjudicium, id tamen est illicitum et severe prohibitum, ad vitandam fraudum occasionem. Nonnulli tamen docent hoc non esse mortale, apud *Lacroix*, *ibid.*

842. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Negative.* Etenim ADRIANUS semel constitutus hæres legitimus ex valido testamento, statim post mortem testatoris acquisivit jus *certum* et *strictum* in hæreditatem, ut patet. Atqui jus *certum* et *strictum*, semel acquisitum, non amittitur per tituli amissionem, sed solum per voluntariam cessionem, seu domini legitimum translationem: ergo ADRIANUS jus suum non amisit. Numquid enim jus *in re*, seu jus *strictum* comburitur, et in cineres redigitur, sicut titulus papyraceus quo probari potest? Minime gentium.

Porro, si ADRIANUS jus *strictum* habet in hæreditatem, non potest injuste agere, si media adhibeat, licet illicita, ad jus illud prosequendum; neque injuriam inurit aliis consanguineis, si eos industria quacumque impediatur ne in hæreditatem deveniant, cum jus nullum in illam habeant.

*Objicies:* Hæredes alii naturales per fraudem impediuntur, ne ad judicem recurrant. Etenim, seclusa hac tituli simulatione, ADRIANUS sententia juridica ab hæreditate possidenda deturbaretur: ergo impediuntur ne ad judicem recurrant; ergo in jure suo læduntur.

*R. Dist.* Læduntur in jure suo *putato*, *conc.*; in jure suo *vero* et *stricto*, *neg.* Etenim jus quidem habent ut ADRIANUS jus suum probet, siquidem ei credere non tenentur; sed hoc ex eorum bona fide tantum, seu ex errore provenit: licet enim *formaliter* juste agerent, *materialiter* tamen *injuste* ad judicem recurrerent. Et re quidem vera, si quis eorum testamentum omnibus formis vestitum conspexisset antequam periret, numquid illud tuta conscientia postea impugnare posset? Hinc patet discrimen inter casum præsentem et duos præcedentes: in hoc enim ADRIANUS jus certum habet ex valido testamento; in illis vero legatarii jus tantum probabile ex testamento informi habebant, et per fraudem jus probabile aliorum hæredum destruebant.

## CASUS VII.

## DISPOSITIO INCERTA.

*Cui clamet depositum.*

BEATRIX, mulier cælebs, relicta ROSINA sorore sua *Sabianum* consobrinum suum instituit hæredem omnium bonorum quæ in ipso testamento non exciperentur. Postea quinque francorum millia AGATHÆ in depositum committit, nihil adhuc de illis statuens. Sed cum paulo post gravi morbo correpta fuisset, ab ea quærit depositaria quid de pecunia sibi commissa

faciendum sit? « Hac de re postea statuam, inquit BEATRIX, nihil est quod urgeat; nolo tamen ut SABIANO cedat. » Cum hæc dixisset, repente e vivis excessit. Quid autem de pecunia AGATHÆ commissa? AGATHA dimidiam pecuniæ partem sibi servat, alteram partem ROSINÆ tribuens. SABIANUS autem, rem suspicans, minatur mulieres ad judicem se traducturum. Parochus vero consultus contendit pecuniam hanc nullius esse, et proinde pauperibus distribuendam.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quem pertineat illa pecunia? An SABIANO hæredi, vel ROSINÆ consanguinæ propiori, vel AGATHÆ depositariæ tribuenda sit, vel causis piis impendenda?*

2° *An SABIANUS possit eam juridice repetere, vel etiam ante sententiam subripere?*

3° *Quid, si pauperibus fuerit distributa, et depositaria ad eam SABIANO restituendam damnetur?*

SOLUTIO :

843. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Cuiam pecunia clamat? Si confusus apparet clamor, forte solius *audientis* culpa est. Accipe igitur casus solutionem.

1° Pecunia non clamat AGATHÆ *depositariæ*. Quo enim jure depositum sibi tribueret, sive ex *toto*, sive ex parte? Numquid rationem habet thesauri, vel rei inventæ, aut prorsus derelictæ, quæ fit primi occupantis? Minime gentium. Nonne adstant cognati et hæredes quibus pecunia potiori jure clamaret?

2° Non clamat *pauperibus*; pauperes enim repræsentant tantum dominum at hæredem *prorsus* incognitum; in casu autem nostro adsunt plures consanguinei, et quidem proximi. Ergo frustra clamat Parochus pro pauperibus non clamante pecunia.

3° Non clamat ROSINÆ, *sorori* defunctæ. Etenim ROSINA jus habere nequit, nisi ex testamento vel ab intestato, vel ex speciali voluntate defunctæ, extra formam *legalem*. Atqui triplex ille titulus deficit in nostro casu: ergo..... Primo *quidem* non habet jus ex testamento, cum solus SABIANUS legatarius *universalis* constitutus fuerit, nec ipsa ROSINA in jure læsa fuerit; siquidem *soror* inter hæredes necessarios non computatur. Neque jus habet *ab intestato*; nam hæredes non necessarii, licet proximi consanguinei, nunquam succedunt ab intestato, nisi deficiente testamento; atqui in casu non deficit testamentum, cum in favorem SABIANI conditum fuerit. Neque jus habet *ex speciali* intentione extralegali BEATRICES defunctæ: nullo enim *modo* hanc intentionem BEATRIX significavit; imo voluntatem oppositam ostendit, consobrinum SABIANUM, sorore relicta, hæredem *universalem* instituendo.

4° Ergo pecunia clamat SABIANO. Etenim nemo alius jus habet, ex dictis, et ipse solus titulo *legatarii* *universalis* gaudet. Ergo ipsi soli pecunia vere clamat. Ergo ipse *solus* pecuniæ legitime clamare potest.

*Dices:* Sed BEATRIX *expresse* SABIANUM exclusit ab illa pecunia possidenda. — *R. Non obstante* illa declaratione mulieris defunctæ, SABIANUS